

FRANCISCI I. IMPER. AUSTR. &amp; REG. HUNG. DECRETUM IX. ANNI 1830.

## ARTICULI COMITIORUM.

*De Administratione salis maritimi et de fodinis sulphuris Radobojensibus.*

## Articulus 10.

Grati venerantur SS. et OO. Regni eam Suae Majestatis Sacratissimae benignam declarationem; — quod in sensu Legum de independentia et activitate Camerae Regiae Hungarico-Aulicae sancitarum, administrationem salis maritimi in Littorali Hungarico eidem Camerae Hungaricae subordinare, relate autem ad fodinas sulphuris Radobojenses SS. et OO. securos reddere dignata sit: se ea, quae Legis sunt, disposituram.

*De venditionibus quoad Bona trans Savum sub Imperio Gallico, subin Regimine provisorio interventis, Judiciariis item Executionibus ibidem peractis.*

## Articulus 12.

Ut diserta adsit Legis provisio, qualem in Jure considerationem subire debeant venditiones perennales, quae sub Imperio Gallico in Partibus Regni Trans-Savanis, illae praeterea, quae revindicatis subin iisdem partibus sub Provisorio Regimine interventerunt? quomodo item Judiciariae Executiones sub utraque hac Periodo peractae, Bona denique per Ignobiles comparata, tractanda sint? statuitur:

§. 1. Quod invalidationi venditionum praemissarum sub Regimine Gallico aut Provisorio in partibus Trans-Savanis interventarum, si secus in sensu Legum Patriarum invalidationi obnoxiae sint, factum praecise venditionis ad denotatum tempus recidens non obstet.

§. 2. Executiones autem Judiciariae sub attacta temporis Periodo peractae ad instar pignoris Judiciarii considerabuntur.

§. 3. Relate denique ad Bona per tales, qui possidendorum Bonorum incapaces sunt, tunc comparata, praeeexistens Regni Legum dispositio observabitur.